

medico diligentissimo accepi: videram autem prius & collegeram similes in mediterranei maris Galliaë litore. Species eius duæ sunt: quæ hîc repræsentatur, omni ex parte albicat foris, hoc est, crusta quadã è limo: quæ ad lapideam ferè, sed molliorem & arenaceam, si dentibus mandas, friabilemque substantiam accedit. Alterius crusta in quibusdam partibus, rubri seu purpurei coloris est: vnde nonnulli Corallijs cognatam esse plantam suspicati sunt. Constât autem partes illa purpureæ crusta multò crassiore, & tuberosa. Vtraque lignum intus nigricans, durissimum, & sine medulla habet, Cytisi ferè ligno simile. Crusta aspectu aspera est, vt Piceæ rami, cui folia deciderunt, relictis vestigijs. Vestigia hæc in priori specie prominent modicè ab omni ramulorum parte, rotunda cum puncto cauo ceu centro, acetabulis minimis similia: inest autem singulis minimũ quid rufum,